

**A** 1. Quod innumeris afflictionibus prematur. Hæc scilicet est virga filiorum Dei, ita erudit & exercet suos Deus. Proinde qui extra disciplinam istam sunt, spurij sunt, non filij. Ebr. 11.

2. Deinde, quod istæ afflictiones sint flagellum peccatorum ipsius, quorum nullus sit numerus. Hoc veteres omnes ita de Christo exponunt, ut nostra peccata sint ipsius non propriè, sed dispensatione, qua se mediatorem inter nos & Patrem obtulit.

In Davide notandum, quod peccata sua non extenuat, sed amplificat: id faciunt iusti, quando, cunque se coram Deo accusant. In Christo obseruandum est hoc loco, quantæ sit consolationis, quod nostra peccata facit sua: pro nobis peccatum factus, ut nos essemus iustitia in ipso.

3. Queritur de angustia cordis sui, dicens: *Et cor meum dereliquit me.* Iterum vides in sanctis nihil esse minus quàm securitatem in afflictionibus, licet ex animo diuinæ bonitati sese committant.

Pro liberatione ex angustia, quam patiebatur, orat, & ut id maturè fiat, precatur, dicens: *Domine* Vers. 13.

Nota hîc, quod licet peccatorum suorum meminit, quorum nullus sit numerus: tamen pro liberatione ex malis, quæ peccatorum suorum gratia ferebat, bonitatem Domini implorare non dubitat. OBSER. 1.

Deinde notandum, quod propè morè impatiens, dicit: *Ad adiuuandum me propera.* Accedat huc criticus aliquis: interpretabitur impatientiam, & nescio quæ alia. Illos affectus boni consulit in suis Deus, quos sublimis quidam spiritus planè reprobaret. OBSER. 2.

Versibus 14. 15. & 16. exprimit, quid in omni tribulatione potissimum vrgeat ac premat, videlicet, quod intelligebat afflictiones suas, si aliquandiu duraturæ sint, vergere ad contumeliam gloriæ Dei, propter impios, quibus ridiculum & insanix loco erat, sperare in Dominum, & ad deiectionem piorum, qui spem suam in Deum transtulerant. Ideo orat pro auxilio Dei ut impij confundantur & pudeant: quorum propositum erat & desiderium, extinguere sanctum Domini, qui in ipsis malis exultabant: & ut pij, qui Dominum quærebant, qui salutem à Domino expetebant exultent & lætentur, causamque habeant magnificandi perpetuò Dominum. Vers. 14. 15. 16.

Nota hîc, esse impiorum, delectari in afflictionibus miserorum. Horum pœna est, ut confundantur. Et rursus gaudium esse pij, si conspexerint auxilium Dei opitulari miseris. OBS. 1.

Piorum esse, quærere Dominum, & diligere salutem Domini: id est, nihil illis esse iucundius, quàm in tribulationibus pendere à Domino, & expectare sentireque bonitatem Domini, qua seruentur. Non habent hîc locum cultores & inuocatores sanctorum. OBS. 2.

Conijcit se innumerum pauperum & afflictorum, cum dicit: *Et ego adflictus sum, & inops,* cui sanè desperandum esset: verùm magna fide consolationis & exempli gratia subiicit: *Dominum habere suam* Vers. 17.

**B** *rationem:* & per apostrophem, *ipsum esse adiutorem & liberatorem suum:* adiecta precatione, ne moram necere velit, sed in tempore succurrere dignetur.

Nota quod non dicit, *Ego iustus sum, Dominus rationem mei habet:* neque, *Ego rex sum, propheta sum:* sed, *Adflictus & egenus.* OBS. 1.

*Deus meus.* Nota etiam hoc loco, quomodo cum dixisset, *Adiutor meus & liberator meus es tu.* subiunxerit, *Deus meus.* Vnde admonemur, quid sit esse Deum alicuius, nempe adiutorem & liberatorem. OBS. 2.

PSALMVS XLII.

AD PRÆCINENDVM DAVIDIS:

ARGVMENTVM.

**E**T hic Psalmus celebrationem habet diuinæ bonitatis, quam in seipso Propheta expertus est pristina sanitatis ex graui morbo, cõtra vota ac spem inimicorum restitutus, qui ipsum & cupiebant isto morbo, & sperabant quoque planè interire. Habet autem locum quem Christus in se adimpletum iri dicit. Ioan. 13. de quo postea, cum opportunum fuerit, dicemus.

Dispositio Psalmi.

Habet hic Psalmus quatuor partes, in quas illum ad hunc modum diuidimus. Prima pars felicitatem eorum prædicat, qui nouerunt adflictis ex animo compati. Ista habet tres primos versus.

PRIMA PARS.

**B**EATVS qui intelligit super attenuato, in die malo liberabit eum Dominus VERS. I.  
2. Dominus custodiet eum, & viuificabit eum: felix erit in terra, & non dabis eum desiderio inimicorum ipsius.

3. Dominus sustentabit eum super lecto doloris, totum stratum eius conuertes in morbo eius,

*Et non dabis eum.* Ebr. *אל תגדהו* Græcus, vulgata Latatina: *Et non tradet eum.* Sic & Hieronymus & Iustinianus. LECTIO. Vers. 2.

*Desiderio inimicorum ipsius.* Ebr. *בגוש אייביו* Græc. & vulg. Lat. *In animam inimicorum eius.* Hieron. *Anima inimicorum suorum.* Sic & Iustin. Pagnin. *Voluntati inimicorum eius.* Felin. & Tigurina: *Libidini inimicorum eius.* Reliqua conueniunt.

Hi tres versus bifariam exponuntur. Primò ad hunc modum: *Beatus qui intelligit super attenuatum:* ut dictum sit de quouis modo adflicto. *In die malo liberabit eum Dominus:* hoc est, eum qui miseretur EXPLA. NATIO.  
F 3 inopum,